DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
CONCUBINATU,
A CHRISTO ET APOSTOLIS PROHIBITO.

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIÆ, MARCHIONE BRANDENBURGICO, RELIQUA.

IN ALMA FRIDERICIANA,

FACULTATIS THEOLOGICÆ UNANIMI CONSENSU,

PRÆSIDE

D. JOACH. JUSTO BREITHAUPT

Abbate Bergensi Magdeburgio,
R. Consist. & Theol. Fac. Sen. Gen. Superint.
Direct. Sem. Th. & Sacrorum Hildersl.

D. XXIX. APRIL. A. MDCCXIII.

defendet

BERNHARDUS Baumgart /
NEO-HALDENSL. MAGDEBURG.

HALÆ MAGDEBURG.
Typis ORPHANOTROPHEI.

VIRO
PERILLUSTRI ET GENERO-SISSIMO,
DNO CAROLO DE DIESKAU,

POTENTISSIMI REGIS PRUSSIÆ CONSILIA-RIO INTIMO, CONSILIARIO REGIMINIS AC PROVINCIÆ DUCATUS MAGDEB. &c.

Magdeburgicorum Theologiæ cultorum Mæcenati benignissimo,

Specimine hoc Academico se suaque studia

decentissimè commendat



BERNHARDUS Baumgart/
Neo-Haldensl, Magdeburg.



DISSERTATIO THEOLOGICA DE CONCUBINATU, à CHRISTO & Apostolis prohibito.

SUMMARIUM.

(I.) *Gregorii Nazianz. observatio de rebus, quæ in Scripturâ S. continentur.* (II.) *Quæstio præsens de Concubinatu est in Verbo Dei κατὰ διάνοιαν.* (III.) *Concubinatus, de quo agitur, in se & suâ naturâ adversatur juri divino;* (1) *ob libertatem dimittendi, ei essentialem.* (IV.) *Veteris Testamenti concubinatus matrimonialis, cum libello repudii, in Novo Testamento est prohibitus: multò magis ergò concubinatus, qui non est conjugium, sed huic oppositus.* (V.) *Divino juri adversatur* (2) *ob defectum unionis & amoris maritalis, non minùs essentialem concubinatui.* (VI.) *Uberior gratia Evangelii nullum relinquit locum, neque libello repudii, neque pellicatui, in Veteri Testamento permissis; multò minùs concubinatui cælibum & viduorum, nunquam permisso: quoniam gratia JESU CHRISTI redundantior est, ad duritiem cordis faciliùs superandam.* (VII.) *Ex iisdem rationibus divinis Patres jure ac merito suo defenduntur.*

§. I. Quan-

§. I.



Uando Ecclesiæ hodiernæ conditio evadit tam misera, ut negetur à quibusdam, quòd *concubinatus omnis à CHRISTO vel Apostolis fuerit probibitus*; necesse est, huic malo eatur obviam modo eodem, quo GREGOR. NAZIANZENUS in apricum producebat Scripturæ S. divina dogmata, si qua negarentur in eâ contineri. *Oratione* XXXVII. is docet, in litteris sanctis observandum iccircò esse usum partitionis hujusmodi: (a) *Rerum aliæ non sunt, sed dicuntur;* (b) *aliæ, quum sint, minimè dicuntur;* (c) *aliæ nec sunt, nec dicuntur;* (d) *aliæ denique & sunt, & dicuntur.*

(a) Græcæ Ecclesiæ hic Pater, qui solus post *Evangelistam Johannem* nomen *Theologi*, tanquam proprium, reportavit, propterea quòd plenus est observationum, Theologiam mirificè illustrantium; animadversionis PRIMÆ probationem exhibet sub *affectionibus corporeis*, quæ in Deo non sint, de ipso tamen dicantur, neque id sine *fundamento rei* certissimo: secundum Psalm. XCIV, 9. *Qui plantat aurem, nonne audiat? si est formans oculum, num non spectabit?*

(b) SECUNDUM rerum genus, ut res in Scripturis sint, nec suis vocabulis exprimantur, ostendit in iis, quæ ex evidentibus testimoniis tantummodò colliguntur: ut, *Ingenitum*, & *Independentem*, esse DEUM, nusquam legitur, nihilominus sine ullâ dubitandi ratione intelligitur ex Jes. XLIV, 6. *Ego primus, & Ego novissimus, & præter me non Deus.*

(c) TERTIUM, eorum, quæ nec sint, nec dicantur; monstrat in verè *contradictoriis:* v. c. *Deum improbum, tempus præteritum esse præsens*; qualia in Verbo Dei non reperiantur.

(d) QUARTUM, per se innotescit, constans ex iis, quæ & sunt, & dicuntur in Scripturis Sacris: cujusmodi ubivis obvia.

§. II. Con-

§. II.

Concubinatum, ſeu conjunctionem domeſticam arctiorem ſine affectu maritali, cum fœminâ ejusmodi præſertim, quæ juſta uxor poterat eſſe; à CHRISTO & Apoſtolis non eſſe prohibitum, qui contendunt, exiſtimant fruſtrà, opinionem hanc ſuam fundari in eo, quòd *dicta Scripturæ*, contra Concubinatum iſtum quæ proferri ſolent, de ipſo non loquantur, nec videantur agere. Ex quo animadvertimus, in cauſſâ hac diſquiri de *hypotheſi* quadam *ſecundi* illius rerum generis: utrum videlicet dictus concubinatus, licet ejus non fiat mentio in Novo Teſtamento κατὰ ῥητὸν, ſit tamen damnatus in eodem κατὰ διάνοιαν?

Adverſus eos, qui aliquam negant *veritatem*, quæ *per conſequentiam certam* omninò in Scripturâ S. continetur, loc. cit. Theologus indignatione juſtiſſimâ utitur ſequente. *Quum in nominibus & rebus tantum diſcrimen reperiatur, quid cauſſæ eſt, cur litteræ tantopere ſervias, Judaicæque ſententiæ te ipſum adjungas, relictisque rebus ſyllabas conſecteris? Quòd ſi, te bis quinque aut bis ſeptem dicente, decem aut quatuordecim ex verbis tuis colligerem; aut ex eo, quòd animal ratione præditum & mortale diceres, hominem eſſe, concluderem; an tibi nugari viderer? Nequaquam profectò, quum tua dicerem. Neque enim hæc verba magis ſunt ejus, qui loquitur, quàm illius, qui loquendi neceſſitatem affert. Quemadmodum igitur hîc non ea magis, quæ dicuntur, quàm quæ intelliguntur, expenderem; eodem modo nec, ſi quid aliud eorum, quæ vel nullo modo, vel certè non ſatis apertè dicuntur, ex Scripturâ tamen intelligi colligique reperirem, adeò te inanem verborum interpretem pertimeſcerem, ut ab enuntiatione iſtâ refugerem.* Conferri poterit ejusdem Oratio XXI.

III.

Fundamentum dijudicandæ *Quæſtionis* rectè ponitur Matth. XIX, 4, 5, 6, 7, 8, 9. in ipsâ *interpretatione*, quâ DOMINUS declarat *Inſtitutionem* matrimonii ex Gen. II, 22, 23, 24. Nam docet eâ Chriſtus: vi (a) *Inſtitutionis* divinæ,

omnem unionem in unam carnem, quæ fieret cum fœminâ (b) *dimiſſibiliter*, fuiſſe (c) illicitam. Quæ enim in Vet. Teſtamento intervenerat peculiaris per Moſen *diſpenſatio*, hanc DOMINUS, reſtituens primam intentionem DEI, adventu ac verbo ſuo tollebat. Jam autem Concubinatus, de quo nunc agitur, ſicut indicatum eſt, ſignificat unionem cum muliere non *indimiſſibili*, ſed quæ dimitti potuerit in *Novo* Teſtamento, nullâ interveniente novâ diſpenſatione poſt *Moſaicam* abrogatam. (d) Fuit ergò is utique à Chriſto prohibitus, ac damnatus in Novo Teſtamento; & quidem eo ipſo quàm maximè, quòd hunc concubinatum *dimiſſibilitas* ingreditur *eſſentialiter*, contra divinam inſtitutionem unionis inter marem & fœminam.

(a) Notandum, quòd teſtetur Dominus Matth. XIX, 3. ipſum *Creatorem* dixiſſe verba *Adami* illa Gen. II, 24. *propter eà derelinquet homo patrem & matrem; & adhærebit uxori ſuæ: & erunt hi duo in carnem unam.* Quum igitur ex iis ſic illatis ſuum derivet judicium, haud ſupereſſe poteſt dubitatio, quin illud ſit *interpretatio* eorum, quæ ad mentem DEI, circa unionem in carne unâ, verè cognoſcendam, pertinent.

(b) Adverſus *concubinatum* æquè, ac contra *libellum repudii*, quem abrogat Chriſtus, Hic ex DEI Inſtitutione, unionis ad carnem unam, ſic argumentatur: Quòd ſi à Conditore ipſo inſtituta eſt illa unio cum fœminâ haud dimiſſibili, neceſſarium eſt conſequens, ut ab initio in rebus licitis non fuerit, neque ullum *repudium*, nedum *cohabitatio* cum muliere dimiſſibili. Matth. XIX, 6. 8. Ratio *Antecedentis* commonſtratur in eo, quòd, qui ſecundum Dei voluntatem una ſunt caro facti, *non* amplius ſint *duo*, ſeu, quod Chriſto idem, haud diſſolubiles, ſed *conjugati à DEO*, nec ſejungendi ab homine. v. 6.

Neque obſtare, addit, quòd *libellus repudii* à Moſe fuerit *mandatus*: Moſen etenim non tam præcepiſſe illum, quàm modò permiſiſſe pro *duritie cordis* Judæorum. v. 8. Tametſi

etſi namque Judæis ad tempus fuit permiſſum, (ne interim tantopere, ut anteà, *contra* DEI voluntatem in hac re offenderent, ſtante adhuc vetere ipſorum œconomiâ) tanquam remedium quoddam, publicum divortii inſtrumentum adhibere; quòd tamen dimiſſio hujusmodi *præter* voluntatem Dei uſurparetur, documento erat perpetuo iſta neceſſitas ritûs ſolennis impoſita, ſine quâ divinam *diſpenſationem* exſequi non licebat. Hâc verò tandem per CHRISTUM, & expreſſis quidem verbis v.9. ſublatâ; ſimulque ſtabilito primo interdicto: v. 8, quid ſupereſt, quod ex eo tempore ſit licitum relictum in concubinatu matrimoniali, ſeu *pellicatu?* & hoc reddito illicito, quid dicamus de concubinatu noſtræ *quæſtionis*, qui miſſionem mulieris inter Chriſtianos, quaſi humano arbitrio integram, ſupponit? Per eam ipſam enim *præſumtam* dimittendi facultatem, ſeu *dimiſſibilitatem*, habet is *vitium*, ſeu turpitudinem, in ſe & naturâ ſuâ, tendens adverſus inſtitutionem: *dimiſſibilitas* verò per ſe non poteſt non inferre ſimul & *vagum* quid, & *clandeſtinum* quid; in quo utroque etiam pugnat cum Inſtitutionis regulâ concubinatus.

(c) Quòd ab initio fuit illicita fœminæ unitæ dimiſſio, certè originem non habet, neque ex hypotheſi Pontificiâ, de *matrimonii Sacramento*; neque ex *Jure Canonico*, quod tunc nullum extitit: verùm ex *Inſtitutione* divinitus patefactâ id oſtendit Interpres Optimus Maximus, JESUS CHRISTUS. Neque hoc *inſtitutæ* conjunctionis *proprium*, nempe *indimiſſibilitas*, pro *accidentali circumſtantiâ*, quæ abeſſe queat, *morali* integritate unionis ſalvâ nihilominus permanente, accipiendum eſt; ſiquidem ipſam unionis legitimæ *eſſentiam*, tanquam pars *eſſentialis completiva*, perficit. Nam, ut fuit *ab initio*, ſic in Novo Teſtamento neque admittitur, neque permittitur unio alia, quàm quæ in unam carnem, nunquam ab *hominibus* ſeparandam, coaleſcat. v.6. Itaque hæc primævæ inter marem & fœminã conglutinationis indoles non eſt arbitrii humani, ſed in *jure divino* ſic fundata unicè, ut concubinatus ille, cujus *propriũ eſſentiale* eſt licentia dimittendi, ſeu *dimisſibilitas*, nihil liciti unquam habere potuerit. Quam enim vinculi genitalis conſuetudinem homini ſeparare licet, eam DEUS nec conjunxit, nec voluit à principio intendere aut concedere. v.6.8,

 (d) Si

(d) Si quis fortè cogitet; ipſum tamen CHRISTUM excipere *caſum ſcortationis*, cui annumeretur *deſertio malitioſa*: reputandum, quod res eſt. Neque enim exinde *permittitur*, quod Deus conjunxit, ſolvere; nec *conceditur* poteſtas dimittendi. Nam in his caſibus *ſupervenientibus*, nec prævifis, altera pars *nocens* vinculum disrumpit ultrò; pars autem *innocens*, ſi pro conſervando matrimonio fecerit, quod ſuum eſt, ſe non ſeparat, verùm invita derelictionem patitur. Conferantur interpretes orthodoxi ad 1.Cor. VII, 15.

§. IV.

Ex dictis ſimul obſervandum eſt, Concubinatum, qui ſignificato ſenſu *opponeretur* conjugio, & iniretur vel ante hoc, vel eo durante; nec lege quidem fuiſſe permiſſum Moſaicâ, nedum à Chriſto & Apoſtolis. (a) Concubinatus enim Patriarcharum, aliorumq; Iſraëlitarum, non erat oppoſitus conjugali ſtatui, verùm incluſus: ſiqvidem ſecundum *regulam* non aliæ mulieres illis permittebantur, quàm quæ conjuges, aut *primariæ*, aut ſaltem *ſecundariæ*, veræ tamen ac legitimæ eſſent, nimirum individuæ. (b) Quum verò nec *Polygamia* hæc à Chriſto & Apoſtolis ſit tolerata ampliùs, ſed Chriſtiani tam ab eâ, quàm à temerariis *divortiis*, ſtatim revocati fuerint ad primam conjugii Inſtitutionem: Matth. XIX, 6.8. (c) multò minùs Chriſti & Apoſtolorum ſententiæ potuit eſſe conſentaneum, ut ſpeciem ullam dicti concubinatûs, utpote qui nec Veteris nec Novi Teſtamenti ſtatui conjugali congruit, dum matrimoniali intentioni, partim ex *dimiſſibilitate*, partim ex affectû *haud maritali*, ipſique adeò *inſtitutioni* primæ eſt oppoſitus, non illicitam haberent.

(a) Meretur hîc legi GERHARDUS *Loc. Theol. de Conjugio* §. 555. quòd accuratè & ſolicitè diſtinguendum ſit, inter Concubinatum Ver. Teſtamenti, atque eum, qui tempore Novi Teſtamenti, *Jure Civili* & *Jure Canonico*, quibusdam viſus ſit permiſſus. *Concubinæ Patriarcharum*, inquit, *non fuerunt impura ſcorta, ſed veræ ac legi-*

legitimæ uxores, veruntamen secundariæ; quæ affectu quidem maritali, sed sine legalibus instrumentis, privatim ducebantur; ac natos ex illis liberos certis legatis contentos esse oportebat, hæreditate ad uxoris, vel uxorum primariarum liberos, devolutâ. Tandem subnectit de Scripturæ usu circa Vet. Testam. concubinas: *quæ ab uxoribus ita distinguuntur, ut illud nomen eis penitus derogetur, illæ fuerunt scorta.*

(b) Ex intentione DEI huc etiam tendebat præceptio de *libello repudii*, ut testarentur eo, ac recordarentur, sibi ex primævâ conjugii institutione haud licitum esse divortium. Conferendus meritò *Marcus Evangelista* c. X, 7, 8, 9. magnopere ex ore DOMINI urgens individuam unionem. Quocircà minimè est, quod dubitemus, an libellus divortii debuerit etiam dari *secundariis* uxoribus: præceptum enim est *generale*, nullam speciem excipiens. Nec deest ratio sensûs *universalissimi*. (1) Non minùs secundaria, quàm primaria conjux, ex institutione fit caro una, &, secundum Christi interpretationem, inseparabilis. Neque obstaculo est, quòd Paulus dicat 1. Cor. VI, 16. & eum, *qui agglutinatur scorto, esse unum corpus*: etiamsi enim, ad detestandum abusum, ita loquatur de *facto* externo, quia conjunctio carnis videtur eadem; tamen nequaquam, ad derivandum exinde *jus*, vel juris *effectum*, idem illud extendit Apostolus. Quando nimirum mas fœminam contubernalem non dignatur reputare *uxorem suam*, ut Institutio expressè habet: tum ille est testis adversus semetipsum, quòd cum eâ ipsum non DEUS conjunxerit, verùm præpostera arbitrii sui malitia. Nec verò vel is legitimè caro fit una, qui conjugium verbis quasi initum, non re comprobat; sociam non declarans *suam uxorem* coram Ecclesiâ, seu Christianâ Republicâ, iis ritibus, sine quibus hæc conjugium nullum verè consummatum agnoscit. (2) Ex Deut. XXIV, 1, 2, 3, 4. intelligitur; nisi datus fuisset repudii libellus secundis etiam uxoribus, publicum illud documentum cessâsset, quo deterrebantur & accipientes & dantes, ne istæ ad maritum primum, si nupsissent alteri, redirent unquam, neque hi ipsas reciperent: id quod *abominatio* erat *coram JEHOVAH*, *quâ quis faceret terram peccare.* Ad *hæc* & superiora legatur pluribus BALDUINUS in 1. Cor. VII, 11, 12, 13. qu. IX. p. 366. quòd in hoc *Deuteronomii* loco, quic-

quicquid videatur *præcipi*, referendum ſit, non ad ipſum divortium, ſed eius *modum* circa libellum repudii; &, quàm gravis extiterit hujus ſolennitas dimittentibus, quâ Deus divortium omne improbârit.

(c) CHRISTUS deſignat tantùm uxorem unam, ſeu duos conjuges, negátque, ab initio conſtitutionem aliam fuiſſe. Unde agnovit CHRYSOSTOMUS, 1. Tim.III, 2.12. & Tit.I, 6. cùm epiſcopus requiritur, qui vir *unius* mulieris ſit; his verbis *damnari expreſſè polygamiam*. Licet verò ſint ac fuerint, qui, id quidem non refellentes, nihilominus ſtatuant ſimul, *Converſorum* ex Judaismo ac Gentilismo imbecilliorum conjugia cum duabus, pridem inita, non potuiſſe dirimi, & Apoſtolos divinitus certiores factos, pro tempore indulgentiam iis priſtinam ceſſiſſe, ut majora evitarentur mala; alii verò animadvertant, haud opus eſſe, ut dicta iſta connotent quosdam, qui adhuc plures uxores habuerint, verùm notare modò Chriſtianorum aliquos, qui repudiatâ uxore duxerint aliam, de quâ bigamiâ & antiqui Canones ſoleant queri; vel, qui anteà duas conjuges habuiſſent, quamvis non haberent adhuc, quippe qui nec ipſi ad *Gradus* Eccleſiaſticos in Canonibus admiſſi fuerint: res tamen ſalva permanet omni modo. Certum eſt, Apoſtolos nequaquam tolerâſſe, ut Chriſtiani amplius duas reciperent in matrimonium, nedum, ut foverent concubinas; nec poſſe verba, ad *Timotheum* & *Titum* ſcripta, quemcunque in ſenſum, aliter ſumi, quàm ad denotandum dedecus atque *ſcandalum*, quod cum juſto Chriſtianismo conciliari nequeat, utut Synagoga vetus non ſine honore fuerit ſepelienda.

§. V.

Addenda nunc cauſſa altera, ob quam Chriſtus & Apoſtoli non potuerunt concubinatum licitum cenſere; ſita in defectu *amoris conjugalis*. Quemadmodum enim ipſe DOMINUS ex Inſtitutione in marito requirit conjugis *unitatem*, ita *unionem*, pariter haud vulgarem inter eos, ſed talem omninò, ut præ patre & matre iſti ille adhæreat; neque aliter, quàm ut ipſam æſtimet unicè ac ſolenniter *uxorem ſuam*.

Hæc

Hæc enim dictio è *Geneſi* ubivis hac in re eſt repetita: cujus ſignificatio divina, & quid *Biblicè*, ſenſu Chriſti & Apoſtolorum, denotet *affectus maritalis*, citra quem, publicè teſtandum, nulla commixtio ad ipſam unionem in unam carnem, quæ divinitus inſtituta eſt, referri poſſit; optimè explicatur Epheſ. V, 21--33. Ex qua obſervatione duo illa neceſſariò conſequuntur: (1) ut Chriſti atque Apoſtolorum tot locis frequentata *emphaſis*, (a) de *propriis*, vel *ſuis* uxoribus, planè ſit *excluſiva*, adverſus omnes alias, quæ uxores non ſint. (2) ut omnia *dicta*, quibus ſcortatio & adulterium damnantur, thoro *opponantur* legitimo; ideoque ea tam concubinatum quemvis, quàm reliquas flagitii ſpecies, prohibeant. (b) Ratio *fundamentalis*; ſuprà & modò dictus defectus unionis, *verè rationalis* ſecundum inſtitutionis regulam, utpote qui concubinatui *eſſentialis* eſt.

(a) Præter ea, quæ circa hanc rem ſuprà exhibentur, conſideratu digniſſima ſunt 1. Cor. VII, 2. 8, 9. *Quisque ſuam uxorem habeto, & proprium quæque virum habeto,* διὰ τὰς πορνείας, *propter ipſas ſcortationes:* quod interpretes veriſſimè interpretantur ita, ut animadvertant, tum *pluralem numerum* notare omnes pollutionis ſpecies, ad quas ſpectet, quicquid conſuetudinis verum non ſit conjugium; tum verò, mentionem finis matrimonialis hîc non variam fieri, ut eò ſignificantiùs contendat Apoſtolus, licet plures ſint matrimonii *cauſſæ finales*, ſe tamen hoc loco de iis non fusè latéque agere, ſed producere fugam quarumlibet ſcortationum propterea, quoniam medelam, pro ipſis evitandis, alia nulla ſuppeditet in unione vivendi ratio, quàm quæ verè & arctiſſimè ſit conjugalis. Nam ipſe Paulus ſic declarat mentem ſuam v. 8, 9. *Dico cœlibibus & viduis: ſi ſe non continent, contrahant* (non ſanè concubinatum, ſed) *matrimonium*; ſubjungens, quia *melius, matrimonium contrahere, quàm uri.* Ecquid eſt, quôd tam præcisè coarctetur oppoſitio, inter matrimonium & ipſum uſtionis periculum? Obſecro, annon hacce *antitheſi* tam concubinatum, quàm

alias ſcortationes, vetat? neque enim dubium eſſe poteſt, has intra anguſtias fideliſſimum doctorem gentium, qui omnibus ſeſe accommodabat, quocunque per conſcientiam poterat modo, cum matrimonio & *concubinatum*, ſaltem cœlibibus & viduis aliquibus, conceſſurum fuiſſe contra uſtiones, ſi non omnem concubinatum, qui id temporis inter Ethnicos uſitatiſſimus erat, ſcortationum nomine conſignaret. Tam altè infixa fuit animo Apoſtolico CHRISTI regula: non aliam mulierem admittendam, niſi quæ dimittenda ſit nunquam! ut videre eſt v. 11, 12, 13. ubi eandem repetit tribus vicibus, atque inculcat.

(b) Non ſufficit; reſpondere ad *textus* illos, quòd loquantur de ſcortatione prohibitâ: nec enim de eo quisquam dubitaverit. Eſt autem quæſtio; an non quilibet concubinatus, conjugio oppoſitus, ſit fuerítque ſcortatio prohibita? Aſſerti verò hujus affirmatio quum ipſiſſima ſit Chriſti & Apoſtolorum ſententia, ut hactenus demonſtravimus; reſpiciatur, quæſo, in Epiſtolâ *priore ad Corinthios*, ex initio illo cap. VII. ad poſteriorem partem antecedentis capitis VI. & judicetur coram DEO; num concubini ſint eximendi numero *injuſtorum* illorum, *qui negantur DEI hæreditatem poſſeſſuri.* Videamus præter reliquos v. 13. & 15. *Corpus non ſcortationi, ſed Domino; & Dominus, corpori.* An Dominus noſter ſanctiſſimus JESUS CHRISTUS, ſuo ſpiritu dominari poterat fidelium ſuorum corpori, hoc ſi dederent concubinatui, contra DEI Inſtitutionem, ab ipſo traditam? corpúsne Domino deſtinabatur, quod refragante Chriſti caſtiſſimâ doctrinâ concubinæ dabatur? Quæ fuerant *Chriſti membra*, an manebant talia, ſi fierent *membra ſcorti*? nempe mulieris, quæ, contra Inſtitutionem divinam, concumbentis viri *uxor* non eſſet? An non, qui concubinatum ſectarentur, addicti quum fuiſſent Chriſtianiſmo, ſe efferrent velut homines *ſui juris*, quaſi haud *pretio emti* (v. 19, 20.) ab EO, qui tanto zelo jus unum conjugii vindicat? quaſi non *redemti* eſſent, *ex vanâ illâ converſatione, â patribus acceptâ*; & quidem *pretioſo ſanguine, Agni immaculati & incontaminati?* 1. Pet. I, 18, 19.

Locus Hebr. XIII, 4. è dictis ſuâ luce radiat: inter quoscunque

cunque fuerit unio carnis, quæ non ſit *conjugium* honorabile & impollutum, (ἐν πᾶσι, in omnibus, nemine excepto) ipſos eſſe *ſcortatores, vel adulteros, à DEO ipſo damnandos*; nec dari tertium quoddam vitæ genitalis genus, quod, quum non ſit matrimonium, melius ſit adulterio ac reliquis ſcortationibus. Oppoſitio enim inter conjugium, & contrarias ſpecies duas, eſt directa, *adæquata* & apertiſſima: ut GERHARDUS c. l. §. 559. iterum confirmat ſequentibus. *Eſt ibi manifeſta & immediata oppoſitio inter conjugium & reliquas omnes extra illud commixtiones, quæ fornicationis & adulterii nomine indigitantur. Jam verò concubinatus non eſt conjugium. Ergò ad fornicationes erit referendus.* Conferatur in *DEDEKENNI* Conſiliorum Vol. III. p. 38. Judicium Joh. HARPRECHTI JCti.

§. VI.

Accedit tertiò. Si fuiſſet in Vet. Teſtamento licitus ille concubinatus, qui conjugii proprietatibus, de certâ *indimiſſibilitate*, & *affectu maritali*, non fuiſſet alligatus; (quod quidem minimè concedimus) attamen CHRISTUS veniens, qui ne *ſolenne* quidem, Moſaicâ autoritate pollens, divortium, pro ſuo officio debuit tolerare ampliùs, debebat multò etiam magis ejusmodi concubinatum (non jam dico, habere pro re in ſe illicitâ, & legi divinæ prorſus adversâ; quandoquidem id abundè vindicatum eſt ſuprà ex ipſius Chriſti verbis Matth. XIX. ſed tantùm) pro eodem ſuo officio, ad quod miſſus erat, prohibere. Quicquid ſanè ob *duritiem cordis*, ſub Vet. Teſtamenti œconomiâ, permiſſum fuerat; ſicut libellus repudii, & pellicatus: id omne ipsâ *Chriſti*, qui fons *unctionis* exiſtit, præſentiâ abrogatum erat, ceſſabátque ex eâ cauſſâ; quòd ipſe afferret *omnibus* χάριν ἀντὶ χάριτος, *gratiam pro gratiâ* Joh. I, 16. hoc eſt, loco illius gratiæ, in *umbris* quæ & *diſpenſationibus* conſtiterat, gratiam longè præſtantiorem, ut additur: nam *Lex* illa per Moſen data eſt; *gratia & veritas* per JEſum

Christum facta. v. 17. Quâ quidem cordis humani quamlibet duritiem facilè superabant atque tollebant intra se, qui ejus verbo obtemperare vellent. Atque hinc illæ ipsius partes erant, ut divinæ *Institutionis* integritatem restitueret: uti jam vidimus. At verò, quis & inde non intelligit, Christum non potuisse, quin ipse, & per Apostolos suos, unà cum libello repudii pellicatum Veteris Testamenti (quantò autem severiùs concubinatum matrimonio adversum, & nunquam concessum à DEO!) prohiberet acerrimè?

Analogia est manifestissima, atque invictum ejus argumentum hujusmodi: Si legis vigor ad tempus remittitur, ob defectum virium; tum deinde, postquam defectui succesfit illarum accesfio, pristinus legis vigor requiritur. Atqui per Christum hæc allata accesfio. Ergò. *Fundamentalem* isthanc veritatem, ex quâ totius caussæ hujus tenebræ quàm maximè disfipantur, Epistola ad *Hebræos* graviter commendat c. IX. & X. *CHRISTUS*, ait, *Tollit prius, ut posterius statuat*, quod nimirum in Ipso fuerat exspectandum: c. X, 9, *declarante Spiritu Sancto, nondum patefactam fuisse VIAM SANCTORUM, priore tabernaculo adhuc consistente: advenientem autem Christum, Pontificem futurorum bonorum, qui per Spiritum æternum se ipsum obtulit inculpatum DEO, sanguine suo redemtionem æternam invenisse pro peccatis nostris, & conscientias mundare, ad serviendum DEO vivo.* v. 7. 11, 12. 14. *unde Christiani habeant libertatem ingrediendi in Sanctum Sanctorum per sanguinem JESU, & VIAM, ipse quam dedicârit nobis, RECENTEM & VIVAM; quâ posfimus accedere cum* (non ampliùs duro, at) *vero corde, & certâ persuasione fidei, asperfione purgatis cordibus à conscientiâ malâ.* c. X, 19, 20. 22. Quò etiam recipit se Apostolus iis: 2. Cor. V, 17. *Vetera præterierunt: ecce nova facta sunt omnia!* Ergóne omnes umbræ, omnes quoque dispensationes Leviticæ præterierunt? solus autem concubinatus ille, qui ne meretur quidem reputari inter *Vetera dispensabilia*, cum Christo consistere adhuc potuit? Ergò omnia corda sunt facta nova in Christo, quotquot ipsius Spiritui

Spiritui non pertinaciter restiterint: & nihilominus hic fœdissimus concubinatus in novis cordibus simul locum habuit? Absit omninò! Quis non videt, quantum præposteri implicet tantum errorem! Ad quem funditus ex animis Christianis expellendum, exterminandum & ejiciendum, ipsius Christi verba quoque pertinent, apud *Matth. Marcum* atque *Lucam*, quibus Pharisæorum statuta explodit: quòd *vestimentum novum non immittatur in vetus*; *nec vinum novum in utres veteres injiciatur*; & *quòd nemo, qui biberit* optimum *vinum vetus*, *statim voluerit novum*: dicens potiùs; *Vetus utilius est.* Quid igitur, si Christiani olim hauserint è Christo purissimam mentem Institutionis primæ conjugalis; an isti potuerint cogitare, concubinatum recentiorem haud esse prohibitum?

Iterum verò atque iterum monemus, *consequutionem* â rebus Veteris Testamenti abrogatis, cum quibus nil commercii habet turpis concubinatus, de quo nunc agitur; adhibitam modò esse, tanquam argumentum *ἀνθρώπινον*, ut *absurdum* eò evidentius redderetur.

§. VII.

Eadem fuêre fundamenta, ex quibus sancti Patres, (a) *Ambrosius*, *Hieronymus*, (b) *Augustinus*, cæterique, uno ore ac corde Concubinatum damnârunt. Quorum quidem autoritatem, propter nævos ipsorum aliquos, vilipendere; nihil est aliud, quàm, si quis solem oderit ob nebulas, quibus interdum obducitur; vel, si ejus radios lippus oculus non ferre potest. (c)

(a) Beatissimus *AMBROSIUS* non primus extendit notionem *adulterii* ad omnem concubitum, qui cum legitimâ conjuge non fieret: verùm inveniebat in Ecclesiâ hanc vocis significationem, ex *Genesi*, in ipso *Decalogo*, & *Evangelio*. Ad emphasin Matth. V, 28. quòd *adulteraverit* in corde, quam quis ocu-

lo ad concupiſcendum aſpexerit; BEZA ſcribit ex vero: Rectiùs vetus interpres, *mulierem*, quàm *Erasmus*, qui *uxorem* interpretatur; *quum non ſit adjectum τινὸς vel ἀδελφȣ̃*: item, *adulterium hîc ſcortationem quoque comprehendit; ac ſi diceret Chriſtus, legislatorem omnem impudicitiam verbo MOECHARI (quo graviſſimnm ſcelus arguitur) notâſſe ADVERSUS EOS, QVI SCORTATIONIS FLAGITIUM ELEVABANT.* Conf. Job. XXXI, 1. & *Theſium Fundament.* p. 98. *Obſervatio Chemnitiana* IV. de legis ſenſu ſynecdochico. Quâ militante Animadverſione, non eſt, quòd Ambroſio detrahatur laus ſolidæ morum doctrinæ, ex ſpecimine illo, cùm ſcripſiſſe perhibetur, adulterium ante Moſen & Evangelium non fuiſſe prohibitum. Legenti enim caput IV. lib. 1. de *Abraham Patriarchâ*, in oculos incurrit planè alius ſenſus. Non loquitur ibi de adulterio, *ſtrictè* ſumto, ſed accepto *latisſimè*; prout hæc vox *materialiter* comprehendit omne factum, quod ex Chriſti judicio adverſus primam Inſtitutionem fuerit, ipſum etiam pellicatum Vet. Teſtamenti, qui Moſaicâ lege permiſſus fuit. Agit etenim expreſsè, non de *formali* adulterio, ſed potiùs de *formali* conjugio, quamvis ſecundario, quod Abrahamus cum ancillâ, ſecundum Saræ voluntatem, inierat. Quid verò mirum, quòd caſum illum excuſet *circumſtantiâ* temporis? nec negans quidem, anteà prohibitum fuiſſe adulterium, ita acceptum; ſed, quod notandum benè, ſatis cautè ſcribens: *nondum interdictum VIDEBATUR*; cum ratione præfixâ, *quia Abraham ante legem Moyſi, & ante Evangelium fuit.* Quibus ſat innuit ſimul, ne eſſe quidem in eo facto adulterium ſecundum Moſis legem; ſi verò habuiſſet ille interpretationem doctrinæ Evangelicæ, à Chriſto allatam, *de unâ conjuge*, eum Saram ſuam auditurum nunquam fuiſſe in hoc negotio. Unde & concludit ibi rectisſimè: *Non ergò in legem commiſit Abraham, ſed legem prævenit.* Immò in ſequentibus mentem ſuam exponit clarisſimè, qui non neget errati *culpam* in veteribus, ſed *pœnam* avertiſſe Deum, prædicet; idque ob tempus *ignorantiæ*, quo ſe tueri non poſſint, qui tempus *fidei* ſint aſſequuti. Utinam hâc cum benignitate

tate sanctissimi Patres legerentur, quæ illis jure communi debetur ante omnes, ut judicarentur è *contextu* integro; non profectò carperentur ita, ut fit magno cum detrimento, non ipsorum quidem, sed Ecclesiæ, sed eorum etiam, qui hisce angelorum consortibus coram Throno Dei, & primariis cœli Ecclesiastici stellis, ubi à verâ luce nihil alieni habent, non parcunt!

(b) Verè ad Deum conversus AUGUSTINUS, qui concubinatum, ceu pestem animi Sancto Spiritui invisam, expertus fuerat tam diu, majorem fidem meretur, quàm apud criminis ejus defensores obtinet. Ut ubique omnes adversus hoc ipsum repeteret rationes, quæ inter Christianos satis obviæ sunt, non erat opus. Cæterùm is minimè fatetur, quòd ex *Decalogo* probari nequeat, concubinatum esse fornicationis speciem. Patris sermo tantummodò *conditionalis* est: *SI non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri, qui uxores non habent, cum fœminis, quæ maritos non habent, utrum inveniri possit, ignoro.* Quantum verò dissideat modus loquendi cum *conditione*, & *particulâ SI*, à directo affirmandi modo, testatur, unà cum *Logicis*, Evangelista *Iohannes* c. XXI, 23. ubi ex ore DOMINI & ipse pernegat, ita quod efferatur, pro concessione *omnimodò* accipiendum esse. *Non dixit JESUS illi, quòd moriturus non esset: Sed, SI illum volo manere, donec veniam, quid ad te?* Non ergò habemus hîc Augustini confessionem, quam esse *absolutam* oporteret. verùm contrà, neutiquam admissâ *conditione*, affirmationem habemus contrariam eò fortiorem; at, cujus quæstionis? non equidem, an concubinatus sit fornicationis species? sed, quia id, tanquam *suppositum* assumitur, quæstionis alterius, nempe hujus: an omnis fornicatio, cujus species quædam concubinatus, dici possit mœchia? Quæ ipsa *Conclusio* ibidem urgetur his verbis: *profectò nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus DEBET intelligi.* Locus reperitur in *Quæstionibus* Augustini *super Exodum*, qu. LXXI. p. m. 149. Integer sensus hic est: *Omnem mœchiam* dici etiam fornicationem in

Scripturis, ſecundum exemplum Matth. V,32. & neceſſarium eſſe, ut viciſſim *omnis fornicatio* dici etiam poſſit mœchia, licet nullum hujus locutionis exemplum (quale quidem antè oſtendimus ex eòdem capite Matth. V, 28,) in Scripturis occurreret. Quærenti, cur hoc tam neceſſarium? reſpondet; hanc *necesſitatem* rei ſubeſſe *hypotheticam*, quòd, quum nemo dubitet Chriſtianus, fornicationem omnem in Decalogo vetitam, atque, exempli gratiâ, ipſum concubinatum inter homines ſolutos; ei non aliter locus ſit in Decalogo, quàm ſi in ſexto præcepto, ſub *mœchiæ* nomine, cum quibusvis aliis ſcortationibus, collocetur. Idem confirmans, illuſtrat ex *analogiâ* ſeptimi præcepti; ubi ſub *furti* nomine, tanquam *toto*, quælibet *pars*, ſeu ſpecies *illicitæ uſurpationis rei alienæ*, v. c. *rapina* quoque comprehendatur: ſimiliter proinde ſub mœchiâ, concubitum illicitum omnem, & concubinatum non minùs, contineri. Quæ quidem *analogia* eâdem ratione ab Apoſtolo monſtratur in mandato *quinto*, 1. Joh. III, 15. Hactenus etiam nihil, quod Præſulem Hipponenſem vitii *Logici* (dicti *Circuli*) incuſare poſſit. Agit de ſenſu *Legis* ſynecdochico, declarando his modis; non, de probandâ *quæſtione*, an Concubinatus ſit fornicationis ſpecies? Hoc enim, tanquam *poſtulatum*, aliàs probatum ſatis, hîc ab Epiſcopo, ut ajunt, *præſupponitur*. Quid tandem verò inde, ſi fateretur Pater, (de quo tamen nihil in ipſius verbis haberi, lector peritus meritò mirabitur) ex *Decalogo* non probari poſſe, quòd concubinatus ſit fornicationis ſpecies? An ergò hoc ipſo vel Auguſtinus, vel quivis alius, adduceretur ad fatendum, non eſſe concubinatum ſpeciem ſcortationis, vel, non prohiberi in Decalogo? Aliud quippe eſt, probare, quodnam peccatum prohibitum ſit in quolibet mandato: aliud, probare, quænam ſpecies ſint peccati cujuslibet. Prius probatur ex *Decalogo*: poſterioris probatio non ex Decalogo petenda erit, verùm ex *Scripturâ S.* univerſâ. Sufficit Auguſtino, & nobis; omnem fornicationis ſpeciem, ſub mœchiæ vocabulo, prohiberi in Decalogo: eſſe autem concubinatum, jam deſcriptum, ſpeciem fornicationis turpem

ac ne-

ac nefandam, ex Vet. & Nov. Teſtamento ſuprà demonſtratum eſt.

(c) *Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus* peculiari ſermone, & reliqui ſeculorum primorum Patres, concubinatûs malum non reſolvunt in *Eccleſiæ autoritatem*, nec in *arcana* quædam *Cleri Politica*, ſed ex *jure divino*, præſertim Evangelio, id agnoverunt; *poſteaquam reſurrectione Domini noſtri Jeſu Chriſti manifeſtiſſimum judicium noſtræ libertatis illuxit:* ut loqui ille amat. Hinc rationes, quibus Concubinatum proſcribunt è Chriſtianâ Eccleſiâ, ſunt omninò *Articuli Fidei*; ſunt quaſi radii *ſolis juſtitiæ*, concubinatûs impiam turpitudinem detegentes, ac docentes, quàm *proclive* ſit *humanum genus, non ex momentis ipſius libidinis, ſed potiùs pravæ conſuetudinis, æſtimare peccata, aut male ſanæ rationis:* ut iterum ſcribit Auguſtinus de *Doct. Chriſt.* l. III. c. X. ubi *Evangelicum* illud *principium* ſcitè conſtituit: *Quantò magis regnum cupiditatis deſtruitur, tantò magis charitatis* (ſanctæ, erga Deum, & proximum) *augetur.* Item illud: *Non eſt in carendo difficultas, niſi cùm eſt in habendo cupiditas.* c. XIIX. Hæc autem *Cupiditas* (mater Concubinatûs, quam parum abeſt, quin Deum ipſum faciant non nulli cum Poëta; *Deúsne hunc ardorem mentibus addit? an ſua cuique Deus fit dira cupido?*) quomodo extinguatur *gratiâ Jeſu Chriſti*, & *charitate Dei effusâ in cordibus per Spiritum S. Rom. V, 5.* hoc verò eſt, quod ille totus ex Scripturæ & ſuæ conſcientiæ teſtimonio commendat, (libris de *Gratiâ*, de *Nuptiis & Concupiſcentiâ*, & contra *Pelagianos*, alibique paſſim) tanquam meliorem flammam, per quam concubinatus ultrò intereat; tanquam aquam vivam, quæ ſitim hanc peſſimam auferat, & accendat optimam; tanquam *inchoatam* liberationem *à corpore mortis hujus* Rom. VII, 24, 25. *à quo non liberentur, qui ſunt ad pœnam reſurrecturi*, quæ ipſa ejus verba ſunt, liberari tamen poſſint, dummodò velint. Quam quidem medicinam exuberantem, unà cum matrimonio, ſi quis ſeponat, viderit, ne, *amorem veritatis non recipiens, acceperit efficaciam erroris, ac credat mendacio, acquieſcens in injuſtitiâ!* 2. Theſſ. II, 10, 11, 12. Poſthabito remedio iſto utroque divino, quid eſt, caſtita-

ſtitatem ſine verbo Dei in concubinatu quærere, niſi mendacii *prætextus*, ſub quo cœlibes, vidui, aliive adverſus Deum rebelles, genio indulgent ſuo? Quid eſt *vaga* libido, ſi non ipſa & hæc licentia eſt, ubi à conjugio, à voluntate Dei, à nexu legitimo, divagaris cum unâ? Quæ tranquillitas conſcientiæ, cùm ratio in naturâ quærit *vinculum*, & aliud quidem, quàm quod DEUS offert ac mandat; ſeque ita homo à Creatore ſuo, & Verbo ipſius, & hujus *religione* unâ diſſolvit temerè?

Ad teſtimonium hoc noſtrum obſignandum, monemus mentes Chriſtianas omnes, cum CHEMNITIO in *Loco* de *Caſtitate*, ex ad Eph. V, 5, 6. *Hoc nôſtis, nullum ſcortatorem, aut impurum, aut avarum, qui eſt idololatra, habere hæreditatem in regno CHRISTI & DEI. Nemo vos ſeducat inanibus ſermonibus! propter hæc enim venit ira Dei in homines contumaces.*

FINIS.

